

Johann Cothmann Arnoldus Püngelius

Disputatio Theologica De Divina Providentia

Rostochii: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739740857>

Druck Freier  Zugang



Vert.: A. Pungelius

Joh. Cöthmann.
R. U. theol. 1638.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
DIVINA PROVI-
DENTIA,

Quam

Deo Duce & moderatore universi

PRÆSIDE

*Reverendo admodum, Clarissimo &
Excellentissimo,*

Dn. JOHANNE COTHMANNO,

S. S. Theol. Doct. & Profess, præceptore item,
fautore ac promotore debitâ observantiâ
& submissione colendo

Publicè proponit

Discutiendam

Ad 3. Non. Maji in Auditorio majori

ARNOLDUS PÜNGELIUS;

Lippiensis Westphalus,

A. & R.



ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr,

Anno M, DC, XXXVIII,

VIRO

Admodum reverendo eximio atq; erudito

Dn. JOHANNI PÜNGELIO,
 puro verbi divini Ecclesiastæ inter Lippienses
 Seniori meritissimo, patruo suo, antiqua beneficentiæ
 & hospitalitatis laude insigni, sibi post Parentis piè
 defuncti obitum in ejusdem locum à Clemētia divina
 subrogato hoc Theologicum *ασκημα*
 sacrum esse voluit ac de-
 buit.

Πρὸς ἀπορτίμους πεπαιγμένους προάγουσι ἀπερμάτῃ ἀγρώται,
 Πρὸς χεῖρον δόκιμον τῆ πολυπραγμοσύνη.
 Οὐτῶν ἐμμυλέσθ' ὁμαλεῖ εἰς ἄκρον ἀπ' ἀρχῆς
 Σπαροῦ; Ναί, πλήθ' ὅ, καρποφορεῖ ἀγαθῶν.
 Εἰ δὲ πόνων ἀμελεῖσθ' ἀκρίβων ἐν ἀπέρματι, κόκκω
 Τῶν σκορπισμῶν ναί, ὀπολεῖσι ὅλον.
 Θαυμάζεις; μὴ θαῦμα λέγω, δηλώντ' ἄκρε,
 Ἀγρώτην σε καλῶ, ἀλλὰ ποιῶ με ἀγερον.
 Σπερμὸν ἔρανοι, πύλλων ἀνδρῶν ἀντάξιε, εἰσί.
 Σὲ ἀγαθὸν σὺν ἡ ἐκ ἀπέλειπψε γενυῶ,
 Καὶ μάλλον κραινοῖς σε δῶρ' ἀνέθαλψε δοθέντα,
 Σοὶ δ' ἐναὶ μικρὸν δῶρα θέλοντι φιλεῖν.
 Εὐπορον ἂν ποτέι χαλεπὸς γε θέρισμον ἀπαύτως;
 Ἄξιον ἐστ' αἰτεῖν, δυσχερές ἐστι φέρειν.
 Λάμβανε πρωτογενὲς ἀγαθῶν ἐν φίλτατε πάντων
 Ἄνδρῶν, εὐνοϊκῶς λάμβανε πρωτογενὲς
 Ἐπερ' ἐπὶ παρομοπαῶν ἐν ἀγαθαῖς κῆδ' ἀνέζη,
 Τῆς ὕψους δέξῃ καρποφορεῖται τόκον.

ARNOLDUS PÜNGELIUS,



PROOEMIUM.

Non erra vero in comparatione si modernum seculi statum, cui nos divinum & providum Numen reservavit effeto senio similem dixerō. Judicet enim cui de meliori luto finxit præcordia titan, annon ut mala illa merx senis tergo imposita omnes nervos, membra & artus debilitat & deturpat; ita præsens conditio mundi ad interitum vergentis fragilibusq; viribus nitentis flore destituatur pristinaq; virtutis privationem inducat. Non sufficit dorsum senio confecti incurvari, faciemq; præ sagam futura in terrâ mutationis ad plantas pedis defigi; sentiant & reliqua membra oneris gravitatem necessum est. Faciem sulcus quas, perfosam, oculos caligantes, pedes vacillantes, stomachum officij functionem denegantem, in summa universas vires succo naturali quas, destitutas videas licet. At ecce quàm parum hæc à præsentis statu abluant. Non satis est mundi machinam senectæ annos viriumq; olim fecundissimarum defectum persentiscere, atq; ruinam indubiis signis præ se ferre, sed omnes sui partes eadem infirmitate affici oportet. Ubi enim illa agri fertilitas? æris salubritas? piscium, quos aquæ suppediabant, satietas? quibus bonis olim incola terra ad nauseam usq; fructi sunt. Sic tempora deficiunt cunctaq; debilitant. Longum imò difficile foret, debilitatem mundi in omnes partes derivatam mente complecti, nedum sermone profari: Solius p̄negros̄ p̄s ex tota universitate electi contempla-

rio paritatem cum toto sufficientissimè cum testimonio condolentia edocebit. Quae enim signa conformitatis cum senio & ruina non edit? Partis senium frui veat. Quid aliud praesens status quàm sanguine & sudore partorum defraudationem, vel in cineres resolutionem, vel ab inutilibus terra ponderibus abductionem annunciat? Senium naturâ fati index. Quid obsecro aliud status modernus, quam ense, flammâ, fœnes, tormenta imò ipsissimam mortem promittit? Triste senectus generi humano. Et quid aliud ferunt haec tempora quam absynthium tristitia, doloris? Senectus a socordia comes & genitrix. Bone Deus haec temporum periodi, quibus includimur, ut frigidus in virtutum curriculo offendunt! Quis autem audeat vel animo concipere haec & alia fieri absq; jussu & concursu praesidis universi? Etenim mundanum opus non sine vigili custode stare, nec res humanas fortuiti impetus esse, quae temerè ac sine ratione incitentur, sed providentiâ regi, sacra oracula nos credere jubent. Grande mehercule solatium. Solatio, inquit, esset, omnia etiam adversa & mala providentiâ nobis immitti? Imò solatio: Nihil enim mali accidere pijs potest, neq; ij incommodis ita visis turbantur. Ut enim (juxta Senecæ effatum) tot amnes, tantum supernè dejectorum imbrium, tanta medicorum vis fontium, non mutant saporem maris, nec remittunt quidem: Ita adversarum impetus rerum Viri boni non vertit animum. Manet in statu & quicquid evenit in suum colorem trahit. Et qui excellentissimum illud bonum, virtutum non lenis exactor bonis nocere posset? Agit enim officium patris et si serium tamen proficuum. Notum multò aliter patres salva etiam sapientia naturali, multò aliter matres eadem abutentes indulgere. Illi enim sudorem filii ac interdum lachrymas excutiant. Anne molestum? imò utile du-

tas. *Contrā matres fovēre in sinu, continere in umbra vo-
lunt, nunquam flere, nunquam laborare. An dulce & imò per-
niciosum existimes. Patrium habet Deus erga bonos
animum Objurgare solet filios nunnunquam blande
nunnunquam minaciter, aliquando etiam monere
verberibus. Non statim filium exheredat, nisi ma-
gnæ & multæ offensæ patientiam evicerint. Nisi
plus sit, quod timeat quàm quàm damnet, non acce-
dit ad decretorium stilum. Multa ante tentat quibus
dubiam & pejorē loco positam indolem revocet.
Non ad sumenda supplicia pervenit, nisi remedia,
consumpta, & deplorata omnia esse videat. Itaq; non
illico iniquum vocaveris, quàm vis filium frugi in deliciis non
habeat. Sinit enim illum disciplina tristiori contineri, ut ita
modestia alatur, & durius educando perseverantiam explo-
ret. Novit enim summus paterfamilias calamitates virtutum
occasionem prabere. Si igitur paternum, misericordem & ju-
stissimum affectum erga pios gerit, quid miraris, o homo, famis,
morborum, Marrisq; inclementiam, efficacesq; pana & proba-
tionis matres vim modò in orbe Christiano exercentes? Quid
deploras exilij gravitatem? corporis cum egestate nuditatem?
domos exustas suppellectiliq; copiosa exutas? Quid mirum
ipsum florem juvenea grassante, ferro & pestifera lue è me-
dio tolli? pallore exsangue cadaver, macilentia decrepitem
senem, rugis incultum silicernium representare? cum his o-
mnibus divina cura & providentia presideat, & cuncta ita
gubernet, ut in glorie vel misericordia, vel justitia piorumq;
salutem omnia vergant. Huius fidei confessionem nomine
omnium Φιλοξένων ex veneranda canitie Clemens edidit,
piè scribens: Nos Christiani de nulla re velevētū
sumus*

A 3

sumus

sumus & solliciti, sed in Dei providentia planè conquiescimus, scientes nos illi curæ esse & ab eo per omnia dirigi, ut cuncta nobis cedant in bonum. *Sed cum illa materia digna in qua ingenij vires exerceantur, & multa scitu necessaria in ea lateant, placebit $\omega\epsilon\gamma\gamma\mu\acute{\nu}\alpha\sigma\mu\alpha\tau$ academici loco plura hac de re adicere, & ea eruditorum judicio & examini veritatis indaganda ergo subicere.*



כונה



Uam latè hoc totum universum patet, què latè se Providentia divina diffundit. Unde facile dignoscere est, quantæ molis sit futurû, si quis singulas species subjectas contemplari animum induceret. Sed ne impar viribus onus in me derivè, certas metas huic negotio præfigere lubet.

2. Commodè autem tota hæc doctrina $\text{Ὀνοματολογία συνωνυμίων}$ & ὁμωνυμίων complectente; deinde πραγματολογία absolvi posset: Verùm cum hæc magis ardua & quidem abundè suppediet, illa sepositâ huic unicè operam dicabimus.

3. Tria circa illam præcipuè se nobis offerunt, quæ ordine consideranda veniunt.

4. *Primum est το ὅτι*: An videlicet credenda sit providentia divina, cujus nutu omnia à Deo pendentia regantur & curentur? An verò fortuito & casuali fluxu eveniant?

5. Affirmativam prioris, cui cum Christianis subscribimus, tum clariss. Scripturæ S. effata, tum rationes non minimè faciendæ suadent.

6. S. S. Sestimoniorum nimium quanta sit copia. Unum tamen vel alterum delibabimus. In primis illustris est Psal. 104. totus & ex toto y. 24. & Deut. 10. 14. Hinc in h. m. concludimus: Quodcunq; est opus propriarum manuum & proprio jure aliquis possidet, id ipsi curæ, seu optima ratione confervat, gubernat & disponit, nisi possessorem delirum & insanum pronunciaveris, quod de Deo cogitare

im.

impium esset. Cuncta enim ut sapientissimus paterfamilias dixerit
Sed omnes res infra Deum sunt opera manuum ejus easq; proprio ju-
re possidet. E Minor prob. ex dict. quibus cum conferas v. i. Ps. 24. Ne
autem quis caelestia exclusa omitteretur ulterius adjiciat ex i. Par. 30. v.
12. In quibus præter alia Deo & dominium in caelestia & terrestria &
imperium omnium ascribitur. Hinc talis nascitur prosyllogis Min.
Quorum Deus est Dominus; ea possidet. At omnium, quæ in caelis
& terris, est Dominus. E. & per consequens omnium eorum curam
gerit, cuncta, sicut nauclerus navem, regit, sicut Dux imperat & ducit.
E. non sine provida ejus cura cæco qual. impetu stultit. Præterea prob-
bant hoc seq. dicta ex Act. 17. 24. 26. 27. 28. Eph. 4. 6. Matth. 6. 32. Psal.
135. 6. Psal. 104. 28. 29. Psal. 145. 9. 15. 6. Col. 1. 17. Hebr. 1. 3. in fasci-
culum syll. combinata. Omnis pater & dominus, qui non tantum
scit quibus indigemus sed etiam efficaciter præbet, vitam dat & adimittit,
sustentat, portat omnia, omniumq; miseretur, curam quoq; omnium
habet. At Deus est is, ut alleg. dict. probant. E.

7. Rationes has assignamus: (α) *ab attributis omniscientia &*
potentia. Deus est Rex universalis Apoc. 19. 16. E. omnia regit. Est
sapientissimus & quidem solus Rom. ult. E. sapienter regit. Est po-
tentissimus Ephes. 1. 19. E. potenter regit. (β) *à stabili siderum tempo-*
rumq; in usum creaturarum revolutione, quæ vel dependet à supremo
directore; vel nullum agnoscit præsidem sicq; esset à se ipso: Omne
enim quod existit est vel à se vel ab alio. Sed non à seipso Psal. 74.
16. 17. Matth. 5. 45. E. à supremo direttore. Si hoc E. vel in usum crea-
turarum, vel non. Si non; vide quomodo in gratiam redeas cum v.
19. 20. 21. 22. 23. Psal. 104. Sin in usum. E. non sine providentia. (γ)
Ab infallibilibus rerum futurarum prædictionibus: Aut enim Propheta
ex se & propria scientia prædixere futura; aut instinctu omniscij mo-
deratoris: Non ex se: Alias expiraret veritas Apostolici effati 2. Petr.
1. 21. vel quidam hominum tacite haberentur Dij; Qui enim per se &
suam naturam est omniscius, is est Deus. E. instinctu omniscij mo-
deratoris. E. antequam impleta sunt vaticinia procuravit ea in effe-
ctum produci vi veritatis suæ, quæ alias labefactaretur, & post imple-
tionem dirigit in certos fines propria sc. gloriam, piorum salutē &
ni frustraneam eorum impletionem Deo imputare volueris. (δ) A

902

*conscientiæ morſu vel tranquillitate: Quod probat Deum omnium re-
rum inspectorem, bonorum quidem remuneratorem; ma-
lorum autem ultorem ſeveriſſimum, id probat Dei providentiam; :
quemadmodum id probat Magistratum ſubditorum curam gerere,
quod docet eundem morigeros præmio, contumaces poenâ afficere.
At tranquillitas & morſus conscientiæ &c. E. Minor cõſtat ex Rom. 2. 13
ὅτινες ἐνδείκνυται τὸ ἔργον τῆ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδιαῖς αὐτῶν
συμμετρουήσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως. At quis quadret quæris cõ-
ſcientia legis diviniæ cordib9 impreſſæ ad diviniæ providentiam pro-
bandam? Appoſitè: Propter notitiæ enim legis conscientia trans-
greſſoribus fert teſtimonium de ferendis æternis pœnis. Rom. 1. 23. E-
eandem ſententiã de vi conscientiæ profeſſus eſt Seneca citante Lact.
lib. VI. div. inſt. c. 17. Qui Deum colit non timet. c. 24. ejusd. lib.
Quid agis? quid machinari? quid abſcondi? cuſto tuus te ſequitur.
Alium tibi peregrinatio ſubducit; alium mors: alium valetudo: Hæret
hic, quo cavere nunquam potes. Quid locum abditum petis, & arbitros
removes? Putas tibi contigiſſe ut omnium oculos effugias? Demens quid
tibi prodeſt non habere conſcium, habenti conſcientiam? Et ſane niſi di-
vinum Numen offeſſum eſſe conſcientiæ dictamen perhiberet, quid
trepidaret? quid angeret animi homo ni alicujus inſpectionem no-
ſtros actus obſervantem timeret?*

8. Ex quibus perſpicuum evadit ſummum aliquem quem Deum
credimus omnibus præſidere, cunctaq; moderari. Suſpectum itaq;
nobis eſt dogma de caſu & fortuna. Quanquam enim reſpectu cau-
ſæ particularis conſentiente Gerhard. c. 12. de prov. aliquod caſuale,
vel fortuitum (ſc. inopinatus rei eventus, cujus cauſæ nobis ſunt la-
tentes) in agentibus ex ἀετιολογίας & rebus naturalibus concedendũ
eſt; tamen reſpectu cauſæ primæ & univerſalis, de cujus provida cura
jam loquimur, nihil eſt vel caſuale vel fortuitum, cum ejus ordinem
nihil fugiat. Cape exempl. Si quis abierit in ſylvam amputatum
arbores & ſecuri aſſiduo motu ab anſa ſeparata incautus prætereun-
tem lædat, ut moriatur Deut. 19. 5. Cædeſt eſt fortuita: Num. 35. 22. ra-
tione cauſæ particularis; Non verò univerſalis: quis enim dubitaret,
cum Deuſejuſmodi hominem in manus occiſoris tradiderit? Exod.
21. 13. De caſu nullum eſt dubium: Nam 1. quod ſolum ad res natura-

108

les respectum habet, id ad Deum referri nequit. At casuale. E. 2. probō de utroq; Quicunq; omnium rerum eventus exactè novit antequam fiant, illi nihil est fortuitum vel casuale: Casuale namq; & fortuitum excludunt è formali causarum notitiam. At Deus &c. E. 3. Quicunq; præter intentionem & electionem non agit, ei neq; effectus fortuitus neq; casualis ascribendus est. Sed Deus E.

9. *Secundum* quod *πραγματιλογία* suppeditat est ipsa providentiæ definitio: Variæ a. à variis præscribuntur. Quidam enim ita definiunt: Providentia Dei est actio, quâ ipse res universas & singulas à se conditas ad nominis sui gloriam & bonorum salutem sapienter, potenter, liberè ac bene gubernat & conservat. Dietericus in instit. catech. Alij ita: Providentia divina est actus Dei omnia scientis & videntis, quâ totum mundum singulasq; in mundo creaturas maximas & minimas, earumq; motus actiones & passiones ita curat, ut bona omnia efficienter & clementer promoveat, mala verò severè cohibeat, omnia v. ad suam gloriam & piorum salutem reducat. Bruchman. in loco de provid. Alij aliter.

10. Licet autem hæ definitiones juxta intentionem autorum tolerari possint & debeant; nos tamen ex illis & aliis Dd. nostris edocti, quod & ratio formalis & objecta latius sint extendenda, ab illis (benevolo tamen ipsorum indultu) modicùm discedimus.

11. Dicimus ergo priorem excludere aliquid spectans ad rationem formalem providentiæ sc. *περὶ γνῶσιν*? unde ratiocinamur. Quicquid spectat ad rationem formalem providentiæ divine, de eo definitio debet participare. At præter *περὶ θεσιν καὶ διοίκησιν* etiam *περὶ γνῶσιν* spectat ad rationem formalem providentiæ quemadmodum id præter quorundam nostratum confessionem suo loco probabitur. E. & per consequens ratione formalis nimis angusta.

12. Posteriorem quod attinet, etsi ea omniscientiam & ita *περὶ γνῶσιν* Dei involvat; nihilominus tamen restringit eam ad objecta creata eoq; ipso tacitè à creandis & futuris qual. separat & removet, cum tamen ex autoris sententia non saltem creata sed & futura & contingentia sub providentiam divinam cadant. Quod quia non improbandum ideoq; ad ea extendenda quoq; fuisset. Probo: Circa quod providentia divina est occupata, id sub complexu objectorum

B

Provi-

providentiæ continetur. Atq; non solum circa Ens creatum ejusq; qualitates & passiones, sed etiam circa creanda & futura versatur. E. Major est immotæ veritatis aliàs inductione facillè probari posset. Min. confir. Quicumq; elegit homines antequam existerent, imò antequam mundi fundamenta jacta essent, ille circa Ens creandum & futurum quoq; versatur. Atq; de Deo juxta Providentiam verificatur prius. E. Minor. invenies stabilitam Eph. 1. 4.

13. Cæterum *ἡ θεοῦ* divinæ ne verbo quidem meminerūt, quam tamen ad providentiam requiri indubiè verum est. Ex superabundanti constat h. m. Sine quo hoc totum universum neq; fieri potuit, & sine quo conservari nequit, id referendum ad providentiam divinam. At sine *ἡ θεοῦ* divina & c. Hanc enim tolle & cuncta sustulisti. E. Et quid actualis executio creationis & conservationis, quàm intentionem & propositum divinum hoc & non alio modo rebus prospiciendi argui? Quid salvatio nostra futura aliud quàm intentionis divinæ certis mediis salvandi executio? Unde conspicitur intentionem ad omnes actus Dei esse referendam, sicq; etiam ad actum providentiæ.

14. Generaliori itaq; definitione magis delectamur, quæ totum providentiæ officium aliquo modo delineare videatur. qualem hæc D. Gerhard. ex c. 15 de provid. arbitramur: *Providentia est actio, quæ Deus non solum omnia intuetur, sed etiam juxta consilium voluntatis suæ res omnes creatas conservat & libere, sapienter, potenter & bene gubernat, ordinariè quidem naturæ cursum conservando; extraordinariè vero sine mediis naturalibus vel etiam contra media agendo; præcipuè vero vitam & actiones hominum regit, bonas præcipiendo juvando & approbando, malas permittendo metas præfiniendo & bonum ex illis eliciendo. Vel si mavis ita: Providentia est actio Dei, quæ omnia præsentissimè videt, eaq; quatenus producibilia juxta consilium voluntatis facere decernit, factaq; cum ipsorum qualitatibus actionibus & passionibus, conservat, ordinat & gubernat ad nominis sui gloriam & piorum salutem.*

15. Quæ tamen definitione aliorū eliminatas nolumus, sed potius

20-

nostræ ut latius patenti includimus. Neq; tamẽ hic innovationis cupidi videri optamus. Notũ n. est ex factis paginis & classicis autorib. vocabulũ providentiæ & *μερικῶς* & *ὀλικῶς* usurpari: *μερικῶς* accipitur (N) pro actione Dei interna; sicq; refertur vel ad intellectum divinum & denotat *πρόγνωσιν* quã Deus stabili *ἔσθ* omnia intuetur novit & præsentissime videt: vel ad voluntatem & propositum atq; curam prospiciendi alicui simul involvit, qui actus græcis *πρόθεσιν* nomine vel *προρρησιν* venire solet. (N) pro externa, quæ significat actualem providentiam sive *διοίκησιν* consistentem in efficaci ac operosa conservatione atq; sustentatione *ὀλικῶς* sumitur & pro actione interna & externa simul atq; tria complectitur, de quibus fufius infra dicendum.

16. Facile hinc est advertere recensitas definitiones adversis frontibus non concurrere. Prior enim providentiam describit *μερικῶς* & quidem secundo modo quatenus sumitur pro actuali cura circa res actu existentes. Posteriori termini eodem modo sunt extensũ, nisi quod primum modum internæ actionis annexum habeat. Postremæ vero ad ultimum modum, quo providentiæ *ὀλικῶς* consideratur, examinandæ & referendæ sunt. Tantum igitur abest, ut illis autoribus ac viris de Ecclesia Christi bene meritis contradicamus, ut potius ipsorum definitiones recipiamus, eas ali- quibus requisitis ad constituendam generalem providentiæ definitionem, suppletentes, (quanquam eadem iisdem præsupponere videntur,) ut ita tota providentiæ natura exhauriatur.

17. Quæ hic ad illustandam definitionem attexi possent ea doctrinæ causarum reservata volumus, ad quam proinde properamus.

18. Tertium, quod in *πραγματολογία* examinandum proposuimus sunt causæ providentiæ, quarum quatuor constituimus ordine ponderandas.

16. 1. *Efficiens*; quæ est Sacro sancta Trinitas, Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus. Ita credere & docere jubet norma-

veritatis θεός πνεύς & ἀζιόνς S. Scriptura. Demonstratio est fa-
 cilis ex Sap. 12. 13. 1. Par. 30. 11. 12. Sap. 14. 3. Quicumq; est Deus extra quem
 non est alius, cui debetur gloria, potentia & majestas, illi omnia curæ,
 omnibus imperat, omnia æqualiter gubernat & per consequens causa
 efficiens providæ curæ vel sustentationis creaturarū. Atq; Pater, Filius
 & Sp. S. sunt ejusmodi Deus. E. Major in allegatis locis continetur. Mi-
 nor. cum de Patre nullum sit dubium quoad Filium & Sp. S. probo. De
 Filio ita constat. Quem Judæi in deserto tentarūt, is est ille Deus, cui de-
 betur honos, gloria, & potentia. Pf. 106. v. 14. Num. 21. v. 6. Sed filiū Dei
 tentarunt. 1. Cor. 10. 9. Cōclusio ultro sequetur. De Sp. S. ita patet. Quē
 Judæi in deserto exacerbârunt, tentârūt & ad iram cōmoverunt, is est
 ille Deus, cui debetur honos, majestas gloria, & potentia Pf. 78. 18. P. sal.
 95. 10. 11. At Spiritus S & c. Esa. 63. 10. Hebr. 3. 7. 8. 9. 10. 11. Conclus. in
 promptu. E. Spir. S. est ille Deus & c. & consequenter & Filius & Sp. S.
 cum Patre causa efficiens conservationis & providentiæ.

20. Idem probatur aliâ viâ quoad Filium & Sp. S. Quoad Filiū hoc
 modo: Quicumq; propria virtute omnia condidit & efficaciter adhuc
 conservat is merito salutandus causa efficiens & conservans creatura-
 rum. Conseq. tam diu firma donec contrarium probetur. De Filio Dei
 verum antecedens. Joh. 1. v. 3. Hebr. 1. 3. Col. 1. 17. E. Quoad Sp. S. ita: Qui-
 cumq; operatur omnia in omnibus & quidem talia, quæ nulla creatu-
 ra conferre potest, is est verus Deus. Spiritus S. est is & c. 1. Cor. 12. v. 6.
 & 11. E. Propago conclusionem: Quicumq; est verus Deus, is est causa
 princeps gubernationis & sustentationis omnium. Spir. S. est is. E.
 Major supra corroborata. Min. est Conclus. præced. Constat itaq; Pa-
 trem, Filium & Spir. S. adeoq; totam S. S. Triada cuncta producere,
 producta v. paternâ curâ prosequi.

21. II. Causa *materialis* seu objectum, circa quod providentia divina
 versatur, sunt omnia quæ existere potuerunt, etiamnum existunt & ex-
 sistere possunt, sive parva vel magna, sive bona vel mala, sive necessa-
 ria vel contingentia illa fuerint Sap. 6. 8. *μικρὸν καὶ μέγαν ὁ θεὸς ἐ-
 ποιήσεν ὁμοίως τε ἐργασθεὶς ἐν παντί.* De singulis in specie facili ne-
 gatio probari posset nisi ipsa veritas probationem renueret.

22. De contingentibus tamen & malis alicui posset dubium subo-
 riri; Verum dubium esse non potest, nisi sacræ S. auctoritatem recipe-

re abjuraverit. Quid n. (ut de contingentibus unum vel alterū testim^o addam) magis est fortuitum & contingens, quam sortis iactura? Et tamen eam à Domino dirigi probat Sapiens. Prov. 16. 33. Repete hic sis Exemplum ex th. 8. de cæde, quam perpetravit homo ligna cædens, ferro à manubrio soluto fortè fortunā prætereuntem percutiendo & ita vulnerando ut mortem effugiendi locus non reliquatur. Annon cædem fortuitam dixeris? Negabis? consule Deut. 19. 5. Num. 35. 22. Adde & hanc rationem; Quicunq; effectus præter intentionem agentis conjungitur cum effecto per se intento, is est fortuitus. Cædes præmemorata talis: E. At tamen audi script. asserentem Deum tradidisse ipsū (occisum sc.) in manus interfectoris. Exod. 21. v. 13.

23. Minimè quoq; obscurum esse potest Deum ad mala concurrere. Ut ut enim in malis actionibus quā malis efficienter non concurrat, non tamen otiosum spectatorem existimes, sed talem, qui ante actum, in actu, post actum suū agit.

24. Ante actum suū agit: (a) *Theoreticè*, omnia mala prævidendo & præsciendo, de quo in subseq. plenius. (b) *Negative*, quatenus negat & subtrahit homini gratiam, quā inflecti ad bonum posset, eundem deserit & in potestate Satanæ relinquit in pœnam præcedentium peccatorum, quod tamē in ijs obtinet, qui malitiosè peccando perseverant exemplo Pharaonis. (c) *Prohibitivè* & quidem cum studio impediendi, nō quidem per modum rigidæ violentiæ vel violento raptu aut retractione (sic enim nullum peccatum committeretur) sed per modum paternæ providentiæ 1. ferendo legem Ex. 20. 2. temporalem & æternam mortem comminando. 3. Suadendo & obestando vel immediatè: Num. 22. 12. Vel mediatè per stultitiā prædicationis I. Cor. 1.

25. In actu (a) *Effectivè*: id naturale esse, id vivere, id moveri sustentando Actor. 17. 25. *Causa namq; secunda nihil possunt agere nisi quoq; prima cooperetur; Ita tamen ut effectus causæ secundæ procedens ab ea, quatenus subditur ordini causæ primæ, reducitur ad causam primam: sed defectus causæ secundæ quatenus exit ordinem causæ primæ nō reducitur ad causam primariam.* Thom. 1. 2. q. 78. art. 1. cit. D. Clotzio in Loc. Com. privatim dictatis. Observa, in omni peccato duo inveniri 1. materiale sc. actionē. 2. formale: Ut *ἀταξία*. Ad hoc, in quo propriè peccati ratio consistit, Deus nullo modo concurrat. Ad illud nil prohibet

libet si dicas Deum effectivè concurrere. Ratio est: Omne quod est in se bonum id vel Deus immediatè efficit, vel ad illud effectivè concurrat: Quoddam in peccato (utpote actio) est in se bonum. E. Ad quoddam in peccato Deus effectivè concurrat. Habemus hic Wendelin. Calv. non infimum si verba spectemus *ἀποψήφοι* ita expressis verbis scribentem l. i. c. 6. Christ. Theolog. pag. 183. *Peccata materialiter considerata sunt à voluntate Dei effectiva & approbativa: Actio enim, quæ actio, est Ens & positivum quiddam, adeoq; bonum & à summo bono. Peccata formaliter considerata non sunt à voluntate Dei vel præceptiva, vel approbativa; sunt tamen divine voluntatis permissione & directione, non Dei sed solius hominû culpa. (B) Permissivè* Quia enim Deus peccata non vult, Psal. 5. & tamen fiunt, sequitur irrefragabiliter ea fieri ex permissione Dei. Cave tamen statuas illâ permissionem esse vel invitæ & nolentis, vel non curantis, vel cum Satana & hominibus colludentis & conniventis. Est enim non volentis, seriq; detestantis Psal. 5. peccatorem deniq; tolerantis Rom. 2. 4. 5. (γ) *Cohibitiva* Diabolo & malis hominibus limites & metas ponendo, extra quas vagari & furere nequeunt exemplo Satanae Jobum affligentis, fratrum Josephi, Pharaonis aliorumq; Tyrannorum.

26. Post actum (X) *Vindicativè*; quatenus peccatores poenis temporalibus corrigere studet, insanabiles verò Diabolo æternam cruciandos tradet. Proverb. 16. 4. Matth. 25. (Σ) *Directive*: quatenus ad bonum finem peccata dirigit. Sic venditionem Josephi, quam damno ei futuram opinabantur fratres, non modo in Josephi sed & integræ familiæ Jacobi & universi Ægyptiaci regni commodum Deus convertit. Exemplum Jobi notius, quàm ut ascribi mereatur.

47. Applica hæc vel ad peccatum Protoplastorum vel Judæorum, quo in crucifigendo Christo se contaminarunt, & deprehendes singula in unico peccato concurrere. Et quidem Deum concurrisse ad peccatum Judæorum theoreticè testantur vaticinia Esa. 53. Psal. 21, & alia: Negativè ipse effectus: Prohibitivè præceptū de osculando & audiendo Filio; Psal. 2. Matth. 3. Effectivè ipse actus crucifigendi: Permissivè ipse eventus: Cohibitivè seu definitivè præter alia furoris in confractioe ossium aversio: Vindicativè vaticinij Christi veritas, Luc. 19. quod impletum per Tit. Vespas.

quoad temporalem vindictam: Directive authoritas Script., vultus
rumq; Christi efficacia Esa. 53.

28. Breviter sic habe juxta Meisnerum in hunc fere modum a-
licubi in Anthrop. de peccato differentem. In peccato duo confi-
deranda veniunt: 1. actio & 2. actionis *ἀνάγκη* & c. Ad prius con-
currit Deus effectivè ut principium universale naturam & volun-
tatem conservans: *ἀνάγκη* vero nec approbat nec adjuvat, sed
prohibet ante actum, cohibet in actu, dirigit & punit post actum

29. Sed premit hic forte aliquem scrupulus iste; Quod adver-
satur voluntati divinæ, id non regitur à Deo. E. voluntas Dia-
bolorum & impiorum non regitur à Deo, & consequetur volun-
tas illorum non cadit sub objectum providentiæ divinæ. Resp.
N. C. Committitur enim fallacia à dicto secundum quid ad dict.
simpl. Ita igitur limitanda Maj. Quod omni ex parte adversatur
voluntati divinæ, id non regitur à Deo. Subsume & negabimus.
Non n. Diaboli & impiorum voluntas contrariatur Deo totaliter. Di-
scernendum inter voluntatem & ejusdem ἀνάγκη, inter velle &
inordinatum velle. Ipsum Velle in se est bonum, ideoq; illud non
potes assumere: Neq; etiam de inordinato velle firmiter conclu-
des. Cum enim hoc ut complexum etiam simplex velle includat,
præter inordinationem, hinc fit, ut simpliciter stare in syllog. recu-
fer, sed sit restringendum, quod sit fiat secundum ἀνάγκη concedi-
mus totum argumentum utpote nostram sententiam defendens.
2. Voluntas Pilati in crucifigendo Christo fuit adversa voluntati di-
vinæ: quis tamē inde concludet eam caruisse regimine divino. Con-
trarium probat inscriptio crucis de Rege Judæorum & oraculi præ-
ter intentionem expresso se, conducere ut unus pro populo moria-
tur, cum prius veritati, posterius decreto divino respondeat.

30. Alium alijs urget, videlicet: Malorum Deus non est autho-
r. Mala non fiunt Dei providentiâ, atq; sic nec sub objecto providen-
tiæ comprehenduntur. Resp. disting. Maj. Quæcumq; sunt provi-
dentiâ divinâ, eorum Deus est autor Effectivè; concedo; permissi-
vè, nego. Providentiâ divinâ namq; latiores habet fines (ut ita lo-
quar) quàm efficax sive actualis operatio habet, quæ voce *authoris*
subinuitur. Ideoq; non sequitur; providentiâ divinâ versatur circa
homicidium. E. Homicidij autor est. 31. De

31. De reliquis sub objecto providentiæ contentis facile iudicium formandum. Cumq; rei evidentia rationes respuat, neq; in controversiam vocentur, luci lucem addere labore indignum iudico.

32. III. Ad causam *formalem* tertia vice progredimur, quæ instar matris tres filias in gremio fovet, veluti *θεογονίαν, θεοθεσίαν & διοίκησιν*, quod ita probo: Quod facit, ut res sit id, quod est, eamq; ab omnibus alijs rebus distinguit, id ejus differentia dici meretur, & per consequens ratio formalis: *Formalis enim ratio non dicit totam ejus essentiam vel quidditatem, sed communem naturam ad certam speciem redigit: Nam vox illa desumpta est ex physicis, ex quibus constat, illam essentia partem, quæ communis est cum rebus alijs materiam dici: formam a, id, quod rem ab alia separat & distinguit. Ita per analogiam docendi gratiâ in ceteris etiam rebus omnibus materiale vocatur, quicquid res una commune habet cum altera: Formale quod ei proprium est, sive per quod maxime est, quod est. Sic animale esse homo habet in essentia communem cum equo, leone &c. quare materiale hominis dicitur. Rationale autem formale ejus est: Ita enim ad esse ejus pertinet, ut per eam, maxime sit quod est & à ceteris animantibus distinguitur. Quare etsi homo vere est animal, non tamen est homo, quia animal, sed quia rationalis, in qua formalis ratio consistit. Hornej. in Eth. c. de bonit. & malit. moral. Sed (ut jam assumamus, *θεογονίαν, θεοθεσίαν & διοίκησιν* faciunt ut providentia in genere considerata, sit id, quod est, eamq; ab alijs rebus omnibus distinguat. E. Minor patebit, si unam harum sustuleris. Nega *θεογονίαν* & negasti Deum una cum providentia. Tolle *θεοθεσίαν* & providentia nulla erit: At si summo vero, inquires, *διοίκησιν* salva stabit *θεογονίαν & θεοθεσίαν* concedentibus etiam illis, qui notitiam Deo tribunt ante rerum productionem de lapsuro Adamo & proposito de mittendo filio deq; salvandis in illum credituris. Quid inde aliud sequatur, quam quod urgeo, non video, sc. tum neq; fuisse illam providentiam, quam hic descripsimus. At regeris formale esse simplex & constans quiddam, quod hoc nostrum non videtur esse, cum ex propria confessione priora duo membra competant Deo ante rerum productionem, sicq; etiam ante *διοίκησιν* officium, & præterea unaquæq; habeat peculiarem rationem, quâ ab invicem distinguantur? Resp. id valere in rebus simplicibus & uno se semper modo*

modo habentibus: Secus autem se res habet in compositis, & ex diversis, actibus qual. concretis. Cui enim ignotum ex fidei doctrina Christum esse personam divinam & humanam naturam verè & realiter constantem? E. etiam obtinebit illud per quod divina natura intrinsecè constituitur & ab aliis rebus omnibus distinguitur: habebit itemq; id quod humanam naturam esse largiatur, eamq; ab aliis rebus discernat, quod utriusq; erit formale. Vides itaq; duas formalitates ibi concurrere, quæ nisi veritatem divinam naturam & humanam Christo denegare voluerimus, adhuc adscribantur necessum est. Ergo mirum non est si in providentia, generaliter sive totaliter considerata diversæ formalitates jungantur & sic constet ex diversis actibus, quemadmodum Christus naturis. Porro quemadmodum Christus antequam incarnaretur non potuit defini totaliter in presenti *ὀλικῶς* sed secundum eam naturam, quæ fuit ab æterno: Ita neq; providentia, antequam res per creationem esse ceperunt, circa quas conservationis & gubernationis officium erat administrandum; sed saltem secundum eos actus, quos Deus intrinsecè, exercebat sc. secundum *περόγνωσιν* & *πεόθεσιν*. Jam verò cum in tempore alius adhuc actus accesserit, quid vetat eundem illis conjungere, ut totam rei naturam complectamur. Nec refert quod *πεόγνωσις* & *πεόθεσις* ad ea etiam extendatur sc. quæ non fiunt, & tamen facta fuissent si cum his vel illis cōditionibus posita fuissent, ut præterita, circa quæ *διοίκησις* non versatur. Nam & misericordia divina occupata est in rebus, circa quas iustitia non versatur. Si quis autem tale formale providentiæ divinæ desiderat, quod exactissimè omnibus requisitis formalis respondeat ingenuè fateamur tale quid dari non posse cum providentiæ Dei ex diversis actibus interno sc. & externo Dei qual. sit conflata, qui conjunctim difficilimè simplici conceptu gaudere possunt. Eo tamen felicius discendi & docendi gratia utimur, donec aliud suppeditatum fuerit.

33. Et ut hæc aliquantò accuratiùs expendamus, notandum quoad *πεόγνωσιν*, eam Deo in Script. Rom. 8. 29. c. 11 c. 2. Act. 2. 23. tribui non quod in Deo tempore antecedit; Apud Deum enim nihil est præteritum cujus recordetur, nihil futurum quod præcognoscat, præsentissima enim sunt omnia. Syr. 23. 29. sed ut nostro concipiendi modo & captui humano Sp. S. se accommodet, quæ futura præscire dicitur. Neq; enim alia est cognitio Dei, quæ futura; alia, quæ præterita; alia, quæ præ-

C

sentiã

sentia videt ac cognoscit; sed unica & invariabilis cognitio, quæ teste
 Sarisberienf. cit. Gerh. c. 3. de provid. *Uno singulari & individuo aspectu
 animi, quæ quocunq; sensu excogitari possunt claudit, adeo quidem sine
 motu ut localia sine loco, nascentia sine initio, decedentia sine fine, fluctuan-
 tia sine alteratione, temporalia sine mutabilitate sic uniformiter compre-
 hendit, ut ei nec præterita transeant, nec futura succedant.* Unde Clotzius
 in loc. antea alleg. *Deus res temporaneas scientiâ eternâ, res fluxas
 scientiâ fixâ, res finitas scientiâ infinitâ, res confusas scientiâ distinctâ,
 res plures scientiâ simplicissimâ, res mutabiles scientiâ immutabilî, res mo-
 biles scientiâ immobili, res futuras & præteritas scientiâ presentissimâ vi-
 det & intuetur.* Consentit Ambros. l. i. de vocat. gent. c. i. *Tam in
 conspectu Dei astant, quæ gerenda, quàm illa quæ aut geruntur aut gesta
 sunt. Nec indiget mora cernendi illa virtus, quæ perpetuo unoq; contuita
 creata & creanda, orta & oritura acta & agenda simul aspicit nec ab aliis
 ad alia cogitando transit.*

34. Respectu itaq; Dei potius est scientia rei presentis, quam præ-
 scientia: respectu autem nostri sensuq; humano nominatur ita duobus
 modis: 1. quia æternitas omni temporis differentia carens (ut sunt prius
 & posterius &c.) in qua Deus cognoscit, omni temporaria dispositione
 est antiquior. 2. Quia ordo naturæ ita fert ut architectus primò operis
 sui notitiam animo concipiat, quàm producat. Gesn. disp. 15. pro lib.
 Conc.

35. Hæc Dei præscientia vel potius scientia est vel generalis vel spe-
 cialis, vel singularis.

36. *Ista se extendit ad omnes res producendas & productas: Descri-
 bitur autem perspicuis verbis Hebr. 4. v. 13. $\text{ὅσα ἐστὶ κτίσις ἀφανῆς
 ἐνώπιον αὐτοῦ. Πάντα δὲ γυμνά καὶ τετραχλισμένα τῆς ὀφ-
 θαλμοῦ αὐτοῦ, Syr. 23. v. 29. c. 40. 25. Dan. 2. 22. Psal. 94.$*

37. *Illæ tantum electos Dei filios concernit, habetq; fundamentum
 in 2. Tim. 2. 9. Psal. 34. $\text{Ἔγνων ὁ Κύριος τὰς ὄντας αὐτοῦ. Rom. 8. 29.
 ἔς προέγνω καὶ προώρισε. Quem ult. locum si ad totum genus, hu-
 manum, extendere velis catenæ Apostolicæ series non permittet, utpote
 cuius posterioribus membris priores determinantur. Ita constat: Quos
 Deus præscivit eos & prædestinavit. At universum genus humanum
 non prædestinavit. E. nec universum genus humanum præcognovit se.
 speciali$*

speciali notitia. Idem evincit objectum *πεγνωσμένον*. Illi enim hic dicuntur præsciti, qui sunt filii Dei, qui Deum diligunt, quibus calamitates cedunt in bonum, qui sunt conformes futuri imaginis Filii sui; quæ de singulis Christianis prædicari nequeunt, nedum de illis qui extra pomeria Ecclesiæ. E. præter eam alia concedenda quæ specialis conf. Gesn. in l. c.

38. Hac ut angustissima solum Christum & opus Redemptionis complectitur. Act. 2. 23. 1. Pet. 1. 20. Cum enim ibi sermo non sit de rebus universis, neque de fidelibus. E. necessariò singularis scientia admittenda.

39. Objectum *πεγνωστος* est vel primarium vel secundarium.

40. *Primarium* est ipse creator qui perfectè seipsum cognoscit. Patet h. m. Qui ita se cognoscit, ut nihil sui ipsius se lateat, is perfectè se cognoscit. At omnium conditor ita se cognoscit &c. E. Min. prob. Deo est infinita scientia E. ad propriam essentiam quoq; referenda.

41. *Secundarium* eodem modo ut Scientia th. 35. subdividi potest in universale, speciale & singulare, de quibus iudicium ex præcedentibus th. 36. 37. 38. ferendum, cum hæ species æquè late pateant, atq; illæ cognitionis, & eiusdem testimoniis, quæ ibi adducta, sint contentæ.

42. Interim tamen sub universali obj. quædam continentur quæ multis litis materiem præbent, ut sunt contingentia & mala, circa quæ altercantur; an cadant sub scientiam Dei, & num scientia Dei tollat contingentiam in liberis, è contra ponat necessitatem in malis. Paucis occurrendum & lis decidenda.

43. Res contingentes cadere sub Scientiam Dei, is qui veritatis normam admittit credit & credere tenetur. Argumentor: Qui novit stare, sedere, ambulare fari & operari nostrum is novit quædam contingentia. At Deus &c. E. min. conf. ex Psal. 139. v. 2. 3. 4. Ecclef. 23. 28. Non dicam jam de infinitate intellectus divini contingentia quoq; attingente: nil de infallibili contingentium futurorum prædictione Dei, notitiam earundem sufficienter evincente.

44. Verùm dubium vel inde negotium reddi posset, quod futura

contingentia non habeant determinatam veritatem, ratione cujus determinate cognosci possunt. Argumentum sit tale: Quodcumq; ex parte rei non est cognoscibile, illud neq; per infinitam scientiam cognosci potest; quemadmodum id, quod à parte rei non est producibile neq; infinita potentia potest produci. Sed futura contingentia &c. E. Minor corroboratur ex eo, quod non habeant determinatam veritatem. Resp. N. Min. cum ejusdem probatione respectu Dei. Probo contrarium: Quodcumq; verè futurum prædici potuit, id habet determinatam veritatem. Quædam contingentia &c. E. Minorem prob. Sp. S. i. Sam. 23. inculcans quid Ceilitæ liberè facturi fuissent si David fugâ sibi non consulisset. conf. Matth. ii. 21.

45. *Inquis: si futura contingentia determinatè vera vel falsa esse judicantur non erunt indifferentia, nec contingentia manebunt. Resp. N. C. Hac duo enim (quando assero, effectum esse contingentem, & tamen determinatè futurum) se non evertunt. Dicitur enim contingens propter indifferentiam cause & virtutis ejus: Determinatè futurus, quia causa que potest operari, vel actionem suspendere, re ipsa operatura est. Unde effectum determinatè futurum non excludit indifferentiam cause ejus, sed tantum actionis. Indifferentia autem cause in eo consistit, quod sit indifferens ad operandum vel non operandum: Determinatio actionis quod sit futura etiam si possit omitti.* Becan. de Scient. Dei in Theol. Schol.

46. Qui autem ex illa infallibili scientia quâ Deus res futuras & contingentes complectitur, omnia necessariò fieri & libertatem tolli, clicere fatagunt, infirmam sibi imaginantur conseq. Certò quidem & infallibiliter sunt futura quæ Deus infallibiliter intuetur & videt, sed non sequitur necessariò futura esse. Potest enim aliquid esse certum quod non sit necessarium sed liberum, quo pacto certum est, nos jam sententias conferre quod tamen liberè fit. Fuit enim in potestate nostra collationem hanc nostram in aliud tempus differre, & filum abrumpere ad huc est.

47. Nec mala ex numero objectorum Scientiæ Dei esse excludenda suadet præter alia locus ex Deut. 31. 20. 21. Ex quo concludo: Cui nota fuerunt peccata, Israelitarum antequam fierent, illi aliquod malum notum. At Deo. &c. E.

48. Hic quædam difficultas se offert, quæ probare videtur, peccata libera

libera hominum voluntate patrata esse necessaria s. homines ex necessitate peccare. Propono in forma: Si Deus, scivit Angelos & homines peccaturos, necessariò peccabunt. Sed Deus ab æterno scivit Angelos & homines peccaturos esse E. Conseq. probatur illo Logicorum: Quando conditionalis vera est, si antecedens est necessarium etiam consequens est necessarium. Sed hæc conditionalis vera: Si Deus hoc scivit ita futurum, ita eveniet: Et antecedens est necessarium E. & consequens. Resp. Bec. cit. Sthalio tit. 20. reg. 2. illam *reg. habere locum, quando antecedens est necessarium ex intrinseca connexionione terminorum, non autem quando necessarium est ex accidenti aut suppositione.* Certum autem hoc antecedens, Angelos sc. esse peccaturos, non esse necessarium ex intrinseca ratione terminorum; quia Scientia Dei non habet necessariam connexionem cum peccato. Est tamen necessarium ex suppositione, quia positio hominem esse peccaturum, non potest Deus ignorare. Vel si mavis ita: Necessitas alicujus effectus est vel antecedens, quæ oritur ex causa antecedente necessariò operante & ad unum determinata, quæ positâ necessariò sequitur effectus: H. n. necessum est cras solem oriri; vel concomitans, quæ non oritur ex causa necessaria, sed ex ipsa positione effectus, etiamsi effectus liber sit & à libera causa proveniat. Hac necessitas non tollit libertatem. De hac si argumentum loquatur concedimus; Sin de illa priore negamus.

49. Subsequitur in causæ formalis consideratione *reg. Dei*, sive propositum De de creaturis tum producendis tum conservandis.

50. Estq; vel *generalis* se ad omnes creaturas extendens, Ephes. 1. n. Decrevit enim ab æterno cuncta creata conservare, quod vel ipsa executionio monstrat. Quicquid enim in tempore agit id ab æterno facere decrevit: qualis siquidem *divinitus* in tempore, talis *divinitus* *reg. obtemperans* ab æterno, Sed in tempore omnia sustentat & conservat pro libera voluntate. E.

51. Vel *Specialis* quæ concernit solos homines.

52. Quæ vicissim duplex i. *Universali*, quæ Deus ab æterno proposuit totum genus in Adamo perituro in Christo restaurare, sibi ipsi reconciliare & per media ordinata salvare. 2. Cor. 5. 19. Eph. 1.

53. ii. *Particularis* estq; decretum de salvandis in Christum credituris. Eph. 1. 9. ii. Rom. 8. 28. 1. Cor. 1.

54. Neq; hoc propositum vel decretum est absolutum, sed ordinatum

etiam certasque causas includens, easque respiciens. Salvavit enim nos
ex gratia & misericordia 2. Tim. 1. 9. Rom. 11. 22. E respexit suam miseri-
cordiam & favorem. E. supposuit nostram miseriam. Elegit nos in Chri-
sto Eph. 1. 4. E. respexit Christum. Elegit illos, qui Deum diligunt Rom.
8. 28. At dilectio ex fide. Quicquid enim non ex fide peccatum est.
Rom. 14. E. respexit fidem. Elegit justificandos, quos enim prædesti-
navit hos vocatos etiam justificavit. Rom. 8. 30. At justificamur fide
Rom. 3. E. Respexit fidem. E. decretum de salvandis hominibus non
est absolutum.

55. Sub hoc ergo membrum providentiæ sc. *προβουλή* non cadunt
peccata ratione sui considerata, nisi solum ratione permissionis & finis,
quem ex illis elicere Deus novit. Ratio in apico. Cum enim peccata
pendeant à libera peccantis voluntate, nec Deus ullo modo possit dici
auctor malorum quàm talium, E. neq; illa decernere potest; aliàs effective
ad illa, quàm talia concurreret.

56. Restat ultimum ad providentiæ in genere consideratæ formalem
rationem pertinens pertexendum, quod consistit in *δίκηνος*. In qua aliq;
solitariè locant rationem formalem, sed, ut antea ejus rei mentionem
feci, illi solum *περὶ τὸν* eam definiunt.

57. *Δίκηνος* illa est 1. Generalis. 2. Specialis. 3. Singularis.

58. *Generalis* absolvitur tum rerum *conservatione*; tum *gubernatio-
ne*. Illà omnia portat. Ebr. 1. 3. sustentat Col. 1. 17. movet. Act. 17. 28.
Hac Deus suaviter omnia disponit & ad certos fines consilio suo stabili
dirigit. Esa. 46. 9. 10. Sap. 14. 3.

59. *Conservatio* est actio Dei, quàm Essentias creaturarum earumq;
vires continuat & conservat. Psal. 204. 29. Job. 34. 14. 15. Si collegeris
Spiritus eorum, peribunt: E. vice versa; si non colligit Spiritum, sed
frui concedit, manebunt facta tecta.

60. Continuatur autem & conservat Deus res corruptibiles i. e. mortæ
& destructioni ratione Individuorum obnoxias quoad species ut arbo-
res, animalia &c. Incorruptibiles, ut Angelos, stellas, cœlum, quoad
individua. Intersim & incorruptibilium individua sup modo con-
servat.

61. Objectum Conservationis sunt omnes res create ratione exi-
stentiæ

flentia & agendi potentia: Ut enim omnes habent essentiam à Deo ita & existentia. Esse enim & conservari in esse eidem principio ascribitur.

62. Duplici porro modo consideratur conservatio. 1. Ratione principii. 2. Ratione modi.

63. Ratione principii est vel immediata vel mediata.

64. *Immediata* consistit in perseveranti influxu Esse per productionem communicati in iis, quæ causarum secundarum influxui non subjiciuntur, sed soli Deo. Ita solus Deus Angelos, cælum stellas conservat. Et quid causæ dabis, quod maria cum terra unum globum constituentia infra nos se non effundant & orbes cœlestes inundent? quod terra nullis astricta vinculis non deorsum cœlestes sphaeras gravitate sua petat? Nisi manum Dei eam continentem agnoscere velis? Esa. 40. 12.

65. *Mediata* consistit in influxu aliquarum dispositionum & qualitatum, quæ necessariæ sunt in conservatione earum rerum quæ ita Deo subjiciuntur ut nihilominus à causarum secundarum influxu pendeant. Utramq; Hof. c. 2. v. 21. & 22. complexus est.

66. Ratione modi conservatio est vel ordinaria vel extraordinaria.

67. *Ordinaria* fit certis medijs ad conservationem uniusq; creaturæ ordinatis. Ita vitæ humana mediante panis alijsq; creaturis non tamen exclusa benedictione divina continuatur. Deut. 8. 3. Matth. 4. 4. 1. Tim. 4. 4. 5.

68. *Extraordinaria* supra causarum secundarum concursum & præter consuetum naturæ ordinem fit modo planè inusitato. Exod. 14. 21. 22. Deus mare rubrum exsiccavit. Exod. 10. 21. 22. tenebras palpabiles in Ægyptum ducit. Jos. 10. 13. Solis cursum sistit. 2. Reg. 20. 11. retrocedere facit Dan. 4. Igni vim ademit. 2. Reg. 6. 6. ferrum natare fecit. Luc. 2. virginem parere. Num. 17. 8. bacellum virere & amygdalas ferre fecit, & quæ sunt alia.

69. Accessum jam facimus ad *gubernationem*, quæ actio Dei, quæ de omnibus creaturis pro sua infinita potentia & sapientia disponit & secundum consilium voluntatis regit. Idq; vi attributorum & nominum divinorum. Est enim Rex & Dominus potentissimus, itemq; sapientissimus. 1. Tim. 6. 15. Gen. 17. 1. Rom. ult. v. ult. E. vi relatorum potentissimè gubernat.

70. Dissert.

70. Differt à conservatione ut angustius à latiori : Conservatio enim concernit rerum essentiam & existentiam h. est reminternam & externam simul : Gubernatio verò circa res exterius saltem versatur, vel circa fines rei ; ad quos diriguntur. Itaq; distincta quidem ; non tamen separata saluari possunt.

71. *Gubernatio* est vel Efficiens, vel præcipiens velp ermittens.

72. *Efficiens* est, quâ quicquid boni in mundo est Deus perficit ; cùm *immediate* absq; instrumentis sive causis secundis ; qualiter operatus est in productione mundi Gen. 1. & collatione donorum miraculorum ad propagationem doctrinæ cœlestis Apostolis necessariorum. Act. 2. 1. Cor. 12. *summediate* quando Deus non ex necessitate neq; defectu virtutis, sed ex voluntatis libertate & bonitatis abundantia causis secundis & creaturis aliis ceu instrumentis utitur : Sic ministerio Angelorum utitur in defendenda Ecclesia : piis verbi præconibus in convertendis peccatoribus, piis regibus in avertendis hostibus, & pace subditis procuranda.

73. Nec mirum cuiquam videatur, quod Deus aliquando malorum hominum & Spirituum ministerium adhibeat : Fit hoc enim 1. ut impios puniat 2. ut fideles propter peccata admissa castiget & ad agnitionem eorundem reducat. 3. ut piorum fidem, constantiam, patientiam aliasque virtutes exemplo Jobi exploret.

74. Et quanquam malorum hominum operam in corripiendis fidelibus assumat Deus, iūq; eo ipso magis magisq; peccatis involvantur ; tamen Deus nullo modo autor illorum peccatorum audiet. Quid prohibeat, quæris ? Resp. Deum non infundere illam malitiam quam spirant & evomunt ; quæq; iram Dei sibi thesaurizant ; sed prava inhaerente & quidem ultro asscita qualitate affectis utitur ad iudiciorum suorum justitiæ pleniss. executionem, & fidelium utilitatem. vid. th. præced.

75. *Præcipiens* est, quâ bona seriò commendat. Psal. 37. 3. & mala severissimè prohibet. Utriusq; testimonium occurrit v. 15. Psal. 34.

76. *Permittens* s. permissio est gubernatio, qua homines vel Diabolos ad delinquendum proclives violento raptu non retrahit sed Spiritus spontanei amans in peccata ruere finit, ita tamen ut eorum impetum ad iudiciorum suorum executionem compescat, & quæ pessimo ausu atq; consilio suscepta sunt, ad optimos fines dirigat.

77. Permittens

77. Permittit a. quando Deus vel per *dispensationem* ut *πολυμε-
ριαν* : vel per *tolerantiam* ut peccata gravissima Rom. 2. 4.

78. Tantum de conservatione generali, succedit *specialis* quæ sin-
gulos homines concernit, quorum etiam Deus curam suscipit specia-
lem; Syr. 50. 24. Exod. 8. 21. idq; declarat in vitæ ingressu Psal. 22. 10. Pf.
139. 13. Job. 10. 8. 9. 10. 11. Act. 17. 25. In progressu statum Ecclesiasticū
Pf. 105. 15. Politicū. Dan. 4. 14. Oeconomicū Pf. 128. conservando
In genere Dei inspectio conservat Spiritum nostrum Job. 10. 12. nume-
rat gressus nostros Psal. 56. 9. Cognoscit federe nostrum Pf. 139. divi-
tatem ac pauperem facit. Prov. 22. 2. Deniq; in egressu ratione termini,
qui à Deo dependet. Job. 14. 5. Pf. 139. 16. Psal. 90. 3. Luc. 16. Pf. 39. 7.

79. Notandum hic circa terminum vitæ, eum non esse casualem,
qui Deo non curante, dirigente aut ordinante eveniat secundum im-
piam opinionem Epicuræorum contra alleg script. testimonia ex qui-
bus sic ratiocinamur. Quod à Deo definitur & disponitur, id non fit
fortuito. At vitæ terminus &c. E Min. patet ex dict. Major à rat. form.
fortunæ, quæ fortuito evenire dicuntur, quæ præter intentionem agē-
tis intellectualis accidunt. Sed vitæ terminus præter intentionem
Dei non accidit. E.

80. Alij ut Stoici Charybdim hanc devitando incidunt in Scyllam,
dum terminum vitæ fatalem somniant, quæ absoluta necessitate ci-
tra omnem causarum inferiorum sive naturâ sive voluntate agentii
intuitum à Deo hoc vel illud mortis gen9, huic vel illi personæ, hoc vel
illo tempore sit deputatum, quod evitari nulla ratione possit.

Sl. Verum verissima sententia est, terminum vitæ esse limitatum,
& certo causarum respectu habito homini definitum. Quam senten-
tiam dum probamus Stoicorum simul refutamus.

82. I. Rationem desumimus à *Conditione Pietatis* *μακροβιότης* &
impietatis *μικροβιότης* promittentis. Illius generis dicta extant Ex.
20. Ephes. 6. 3. 1. Tim. 4. 8. Pf. 41. 3. Prov. 3. 2. Hujus Deut. 30. 18. Esa. 1.
20. Prov. 30. 17. Ex quibus necitur tale argumentum. Nullum condi-
tione limitatum est absolutè necessitatis M. patet : Terminus vitæ est
conditione pietatis limitatus. E.

83. II. à *precum efficacia*. His Paulus comites naufragio expositos
servat, qui aliàs ab undis submersi fuissent Act. 27. 20. & seqq. His Mo-
ses

D

ses

ses Deum Israelitas occidere volentem, flectit. Exod. 32. 11. Quas si neglexisset in ira consumpti fuissent. Psal. 106. 23. His Aaron grassantē in populo plagam à cervicibus eorum removit. Num. 16. 19. Quod nō factum fuisset plaga sc̄vire non defuisset His Hiskias vitæ dilatationem impretavit. Esa. 38. 3. 5. Oportet ergo illorum preces vel fuisse frustraneas, quia frustra supplices Deo factō pro prolongando eo, quod inevitabiliter decretum: Vel si non sunt frustraneæ (ut non sunt teste Jacob. c. 5. 15.) consequens est terminum vitæ fuisse precum interven- tu limitatum.

84. III. Ab *Exemplorum testificatione*: Super primum mundum, totalem everisionem (paucis exceptis) Deus quidem induxit; At quis existimaret incolas istius duluvio fuisse exstinguendos si intra 120. annorum spatium pænitentiam egissent, & à mala via deflexissent? Gen. 6. 3. An putas Sodomitas nihilominus evertendos fuisse, etiamsi 10. iusti reperti fuissent? 13. 32. Nunquid iudicas Israelitas serpentibus ictos eo mortis genere eoq; tempore nihilominus afficiendos fuisse, quamvis Deum ad iram non invitassent? Num. 21. 6. Annon Ninivita funditus erant extirpandi, nisi pænitentiam egissent: Jon. 3. 4. E. infallibiliter sequitur vitæ terminum fuisse conditione pænitiæ & impænitiæ limitatum.

85. IV. A *medicamentorum constitutione*, quæ frustranea non est. Syr. 38. 1. Effet a. si vitæ terminus citra medicamentorum intuitum, præfixus esset. Nihil enim vel commodi vel damni referres sive medicamenti salubribus sive noxiis usus fueris, sive plane eorundem usum neglexeris. Propinabo enim sano venenatissima, nec nocebunt; ægro- tanti salutaria, nec juvabunt.

86. V. Ab *absurdi consecutione*: Si vitæ terminus esset inevitabilis, omnium risui sese exponerent, qui pericula vitarent, & ad salvandam vitam a syla quærent. Imo Christi parentes David alijq; sanctorum stultè egissent, dum hostium tyrannidem vitando sibi suisq; consulue- runt. 1. Sam. 19. 18. c. 23. 11. Matth. 2. 13. quod tamen absurditate non caret. Turò ergo concludimus terminum vitæ non esse fatalem sed ordi- natè non exclusis causis secundis & certis conditionibus à Deo pen- dere sicq; limitatam esse.

87. Ultimo loco illud non est prætereundum ad eludendas quas- dam objectiunculas; terminum vitæ esse vel naturalem causas infe- riores

riores involventem; vel supernaturalem easdem excludentem: Quā vicissim est vel gratiæ, solos pios concernens: Vel iræ, quem Deus impiis intuitu impietatis definit. D. Clotzius in Loc. Com. dist. in loco de provid.

88. Superest ut brevibus tertiam conservationis speciem nempe singularem adjiciamus,

89. Ea versatur & circa Ecclesiam militantem & triumphantem.

90. Militantem conservat operarios fideles, qui verbum purè proponant & Sacramenta legime juxta institutionē Christi administrent, mittendo; pios Cæsares & principes, qui Tyrannorum & Hæreticorū vires frangant excitando, Satanæ per Sp. S. resistendo, Patres orthodoxos & Doctores Ecclesiæ sapientiā instruendo, B. Lutherum aliosq; cōstantes confessores Sp. heroico armando, ut ita inferarum portæ ei prævalere nequeant. Matth. 16.

61. Triumphantem quoq; non deseret sed eam ut supremus & æternus Rex & Dominus, absq; quo consistere non potest, æternūm tuebitur & conservabit.

62. Quæritur hic: An etiam Christus hujus regni futurus sit administrator? Dubiam facit quæst. Locus ex 1. Corinth. 15. 24. Verum intelligendus est de mutatione gubernationis, quæ consideratur 1. ratione vitæ naturalis: non amplius *impæras* conservandæ ibid. 2. civilis: politicam gubernationem abolendo ibid. 3. Spiritualis: statum gratiosum in gloriosum mutando.

93. Quæ mutatio non erit omnimoda regni abdicatio, cum illud sit æternum Dan. 7. Esa. 9. Luc. 1. Distinguimus itaq; cum Hunnio super Epist. 1. ad Cor. inter regnum per se & inter formam seu qualitatem Regni. Regnum durabit in æternum: Forma vero qualis in hoc seculo cessatura. Hic enim 1. dominatur in medio inimicorum. Videns hoc regnum cum militia esse conjunctum? At illa militia desinet, quando potestates finem habebunt. 2. In hoc mundo regnum gratiæ exequitur per ministerium verbi & sacramentorum, quod in die judicij abolebitur. Proinde constat locum secundum quid intelligendum & Christum secundum prædictos modos regnum resignaturum esse.

94. IV. Coronidis loco finem con templabimur; quā vel summus vel intermedius.

95. Su.

95. Summus est gloria Dei prov. 16. 4. כָּל פֶּעַל לִי יוֹרָה לְמַעַבְדֵּי .
Hinc memorabilis est Mercurij Trismegisti sententia: πρώτων ὁ
θεός, δεύτερον ὁ χόσμος, τρίτον ὁ ἀνθρώπος, ὁ χόσμος διὰ
τοῦ θεοῦ.

96. Gloria Dei quoad hunc locum consistit (α) in agnitione
sapientia, quæ conspicitur ex aptissima omnium dispositione, cer-
tarum causarum ad certos effectus destinatione, & rerum in cer-
tos bonosq; fines ordinatione.

97. (β) Potentia: quæ facere potis est omnia quæ vult remotis
omni molestia, defatigatione, & impedimentis, quæ alij agenti re-
moram obijcere possent.

98. (γ) Libertatis; quæ exinde elucet, quod omnis coactionis
necessitatisq; respectu creaturarum sit expers nec ad causas secun-
das astrictus. Psalm. 135. 3.

99. (δ) Bonitatis, quia neq; intellectus error neq; voluntas
ἀταξία in rebus producendis ordinandis & conservandis aberrat
unde malum oriri possit.

100. Intermedius est horum salus. Rom. 8. 28. οὐδὲ ἀμεν ὅτι
πάντες ἀγαπᾷσιν τὸν θεὸν πάντες τε συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν.
ὁ μόνος αὐτῶν ἡ δόξα εἰς τὰς αἰῶνας. ἀμήν.





riores involventem; vel supernaturalem easde
vicissim est vel gratiæ, solos pios concernens :
piis intuitu impietatis definit. D. Clotzius in Lo
provid.

88. Superest ut brevibus tertiam conserva
singularem adjiciamus,

89. Ea versatur & circa Ecclesiam militan


90. Militantem conservat operarios fidele
ponant & Sacramenta legime juxta institution
mittendo; pios Cæsares & principes, qui Tyrar
vires frangant excitando, Satanæ per Sp.S. resis
xos & Doctores Ecclesiæ sapientiâ instruendo,
stantes confessores Sp. heroico armando, ut
prævalere nequeant. Matth. 16.

61. Triumphantem quoq; non deseret se
æternus Rex & Dominus, absq; quo consistere
tuebitur & conservabit.

62. Quæritur hic: An etiam Christus
administrator? Dubiam facit quæst. Locus
Verum intelligendus est de mutatione gube
deratur 1. ratione vitæ naturalis non amp
vandæ ibid. 2. civilis: politicam guber
ibid. 3. Spiritualis: statum gratiosum in gl

93. Quæ mutatio non erit omnimoda
illud sit æternum Dan. 7. Esa. 9. Luc. 1. D
Hunnio super Epist. 1. ad Cor. inter regnum
seu qualitatem Regni. Regnum durabit in
qualis in hoc seculo cessatura. Hic enim
dio inimicorum. Videns hoc regnum cu
ctum? At illa militia desinet, quando pote
2. In hoc mundo regnum gratiæ exequitur
& sacramentorum, quod in die judicij abole
stat locum secundum quid intelligendum
prædictos modos regnum resignaturum esse

94. IV. Coronidis loco finem con tem
mus vel intermedius.



: Qui
eus im-
loco de
nempe
nantem.
urè pro
istrent,
eticorū
thodo-
osq; cō-
portæ ei
emus &
ternum
urus sic
15. 24.
æ confie
confer-
tendo i-
ndo.
o, cum
aq; cum
formam
ma vero
in me-
conjun-
bebunt.
m verbū
de con-
cundum
vel sum
95. Su.